

**Dissertatio inauguralis medica sistens observationem rariorem de valvulis  
in ureteribus repertis ... / [Philipp Maximilian Dilthey].**

**Contributors**

Dilthey, Philipp Maximilian.  
Coschwitz, Georg Daniel.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, [1723]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tnmd8w4t>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS  
OBSERVATIONEM RARIOREM  
DE

# VALVULIS IN VRE- TERIBUS REPERTIS,

QVAM  
ADNUENTE SUMMO NUMINE  
ET  
CONSENTIENTE GRATIOSA FACULTATE MEDICA,  
PRÆSIDE

DN. GEORGIO DAN. COSCHWITZ,  
MED. DOCT. EJUSDEMQUE IN ACAD. FRIDERICIANA PROF.  
PUBL. ORD. & POTENT. POR. REGIS IN COMITATU MANSFELDENS.  
ET APUD PALATINOS HALENSES PHYSICO MERITISSIMO,  
PATRONO, HOSPITE, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE OMNI HONORIS  
CULTU DEVENERANDO,

## PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privile-  
giis More Majorum solenni obtinendis,

*Horis Loquoque Consuetis*  
ANNO MDCCXXIII. d. MART.

Publico ac Placido Eruditorum Examine submittit  
AUCTOR RESPONSURUS

PHILIPPUS MAXIMILIANUS  
DILTHEY,  
DILLÆBURGENSIS NASSAVIUS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DEPARTMENT OF THE INTERIOR  
GEOLOGICAL SURVEY

# ALYDIA IN VITIS ERIBUS REPERIT

ADJUNCTS AND NUMBERS

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA  
PRESIDENT

GEORGE D. COSSOWITZ

PROFESSOR OF ENTOMOLOGY  
UNIVERSITY OF CALIFORNIA

PRO GRADU DOCTORIS

THESIS SUBMITTED TO THE FACULTY  
OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

IN CANDIDACY FOR THE DEGREE  
OF DOCTOR OF PHILOSOPHY

BY  
ALYDIA IN VITIS

PHILIPPA M. J. J. J.

1911

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LIBRARY

SERENISSIMO. PRINCIPI.  
AC. DOMINO.

D O M I N O.

GVILIELMO.  
PRINCIPI. NASSAVIAE.  
COMITI. CATTIMELIBOCI.  
VIANDAE. ET. DECIAE,  
DYNASTAE. IN. BEILSTEIN.  
RELIQVA.

ORDINVM. AQVILAE. NIGRAE,  
PRVSSIAE. REGVM.

ET.

S. HVBERTI. ELECTORVM. PALATINORVM.  
EQVITI.

PATRIAE. PATRI.  
PIO. FELICI. AVGVSTO.

DOMINO. SUO. CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME. PRINCEPS.

DOMINE. LONGE. CLEMENTISSIME.



Non ausus fui

sem SERENISSIME PRINCEPS! impræsentiarum hunc ce pagellas ad TUOS deponere pedes, singularis TUA in Musarum cultores CLEMENTIA mihi sat manifeste constaret. Fictus itaque hac TUA CLEMENTIA non dubitavi Dissertationem meam Inauguralem ut signum devotissimi animi TIBI consec

re, eamque SERENISSIMO TUO NOMI-  
NI inscribere. Effet quidem hîc locus, Splen-  
dorem, Antiquitatem & Gloriam SERE-  
NISSIMORUM NASSAVIAE PRINCI-  
PUM ac HEROUM exponendi, sed ultro  
meam confiteor imbecillitatem in hac re  
tam ardua, in qua tot Scriptores & Histo-  
riographi defudarunt, nec tamen Gloriam  
NASSAVIAE purpura, sceptris & diade-  
matibus Imperatoriis ac Regiis radiantis &  
coruscantis pro meritis satis explicarunt,  
propterea potius TE DOMINE CLE-  
MENTISSIME! flexis genibus & devotio-  
ne submississima oro, rogoque, velis fronte  
serena hasce studiorum meorum unice TI-  
BI, SERENISSIMÆQUE TUÆ DOMUI  
consecratorum primitias accipere, & illa,  
quæ TIBI propria est, CLEMENTIA ad-  
mittere hanc exiguam in TE pietatis ac de-  
votionis tesseram meam, quam mens grata  
ob innumeras gratias & mihi, meisque in pri-  
mis B. Parenti à SERENISSIMIS NASSA-

VIÆ PRINCIPIBUS gratiosissime collatas  
manusque devota TIBI offert. Vale SERE  
NISSIME PRINCEPS! in SUMMI NUMI  
NIS GLORIAM & NASSAVIAE splen  
dorem nunquam interiturum. Vale PA  
TRIAE PATER CLEMENTISSIME in  
salutem Musarum, omniumque subditorum  
Vale & MAECENAS GRATIOSISSIME  
in commodum mei ipsius, nec GRATIA  
TUA unquam desere

SERENISSIME, PRINCEPS.

DOMINE, LONGE. CLEMENTISSIME

TUUM

*humillimum ac devotissimum  
servum*

PHILIPPVM MAXIMILIANVM DILTHE



Q. F. F. Q. S.

## PROOEMIUM.



Uemadmodum Ho-  
mo vivus constituit subje-  
ctum artis medicæ, ita ante  
omnia incumbit Medico, ut  
veram subjecti sui cognitio-  
nem sibi acquirat. Cum ve-  
ro homo vivus non modo ex anima rationali, sed  
& corpore organico - mechanico sit conflatus,  
idcirco Medicus non tantum animæ, tanquam  
principalioris hominis partis, facultates, energi-  
am & synergiam in corpus substratum nosse, ve-  
rum etiam accuratam corporis artificiosissimi no-  
titiâ sibi conciliare debet. Ut autem ad hanc  
cognitionem perveniat, optima subsidia ipsi sup-  
peditabit anatomia, dissectio ista artificiola cor-  
porum, quippe quæ & partium structuram, ma-



tudinem, figuram, nexum & situm accuratè demonstrat. Exinde satis, superque apparet utilitas artis anatomicæ, dum non modo Medicum ad penitiorem subiecti sui, circa quod per totam vitam versari debet, *γνωσιν* perducit, sed etiam efficit, ut hacce arte instructus tanto feliciores & majores in reliquis medicinæ partibus faciat progressus. Quid enim quæso in Physiologia, quæ de statu hominis naturali tractat, proficiet Medicus, qui anatomiam neglexit? Quid in Pathologicis præstabit? Sane mihi videtur, quod Medicus hacce arte destitutus non aliter de rebus in corpore siue secundum, siue præter naturam obtingentibus differere possit, ac cæcus de coloribus. Ut iam taceam reliquas medicinæ partes, quæ sine anatomia plane mancæ atque mutilæ sunt, unicuique enim notissimum est, quantæ utilitates imprimis in chirurgiam & medicinam forensam ex hocce studio redundent, cum e contrario sine illo nunquam feliciter exerceri queant. Non solum autem ars anatomica in genere considerata eximium in medicina præstat emolumentum, verum etiam in specie dissectiones corporum morbis defunctorum & utiles, & summe necessariæ sunt, dum mediantibus istis locum læsionis, abditas morborum atque sympto-

ma-

matum causas investigare, immo nova inventa delegere valemus. Audiamus hac de re differentem *Theophilum Bonetum in Sepulchreto Anatomico*, quod totum de abditis morborum causis per cadaverum dissectionem revelatis est conscriptum, ubi statim in *præfatione* inquit: *Multa etiamnum spondet anatome cadaverum morbosorum, quæ vitia intus abscondita expromit, eo fine, ut qui talia in sinu se fovere apprehendet, imminens inde exitium præcauere studeat, ab eo mature se subducatur, fiatque ex alieno periculo cautus: & mox subjungit: Ex stabili hoc fundamento juxta partium quarumcunque phænomena, per observationes anatomicas affectuum hypotheses veræ & reales cuduntur, hinc egrotantium symptomata quæque melius solvuntur, & explicantur, causæ clariores & evidentiores evadunt. Nec minus Casparus Bartholinus huius est sententiæ, nam in præfatione speciminis historię anatomicæ ita loquitur: Neque minus prodesse potest cognitio constitutionis corporis præternaturam, unde commendari etiam meretur dissectio cadaverum variis morborum generibus defunctorum. Maximis hinc exornandi sunt laudibus, quotquot cum inter veteres, tum inter Neotericos exstiterunt Medici, qui hanc artem per frequentes corporum sectiones excoluerunt, intimiora corporis viscera penitus inspexerunt, & minutissimorum etiam structuram & usum pro viribus demonstrarunt, variaque inventa suppeditarunt, quibus*

bus factum est, ut anatomia majora ceperit incrementa. Quamvis autem hodierno tempore ars anatomica ad summum quasi fastigium sit e-  
 vecta, tamen multa adhuc in corpore humano  
 prostant nondum ab anatomicis detecta, inque  
 eorum scriptis delineata, hinc cum a nullo ana-  
 tomicorum, quotquot evolvi, mentio sit facta  
 Valvularum in Vreteribus existentium, mihi ve-  
 ro aliquoties præmonstrante Excellentissimo Do-  
 mino Præsidente occasio contigerit, Valvulas sic di-  
 ctas in Vreteribus diversorum cadaverum huma-  
 norum, cultro anatomico ab Ipso subjectorum  
 observare, hanc ob causam non abs re fore exi-  
 stimo, si Speciminis Inauguralis loco sisterem  
*Observationem rariorem de Valvulis in Vreteribus repertis.*  
 Adsit itaque Summum Numen meis conatibus,  
 iisque ex alto benedicat, quo omnia feliciter  
 cedant.

§. I,

**Q**Uando impræsentiarum *Observationem rario-  
 rem de Valvulis in Vreteribus repertis* sistere con-  
 stituimus, non inutile esse iudicamus, si pri-  
 mo statim limine definitionem Valvularum  
 in genere tradamus, & quid per eas intelligamus, plu-  
 ribus describamus. Dicuntur itaque Valvulæ a val-  
 vis, & sunt nihil aliud, quam membranæ, quæ altero  
 extremo partibus, in quibus reperiuntur, adnexæ, al-  
 tero

tero vero prorsus liberæ sunt , sic , ut transitum corporibus concedere , regressum vero impedire valeant. Reperiuntur autem in diversis corporis nostri vasculosis partibus ejusmodi Valvulæ , quæ partim a figura , partim ab earum inventoribus diversa obtinuerunt nomina ; sic conspiciuntur Valvulæ in vasis sanguiferis a varia , quam possident , figura denominationem accipientes , dum partim semilunares , partim tricuspidales , sigmoideæ & mitrales appellantur ; sic Valvula ista ante introitum intestini coli conspicua , Valvula Bauhini ab inventore vocatur ; denique in intestinis tenuibus , præsertim in jejuno , & circa initium ilei reperiuntur Valvulæ , non quidem veræ , uti modo descripsimus , sed potius conniventes , quæ alias juga appellantur , & ab interiore tunica nervea reliquas longitudine superante proficiscuntur ; missis aliis adhuc Valvulis in corpore reperiendis , cum instituti nostri ratio non postulat de omnibus in genere differere Valvulis , sed de iis tantummodo , quas in Vreteribus iterato observavimus.

§. II.

Vt itaque ordine procedamus , necesse est , quo ante omnia partes , in quibus reperimus Valvulas , secundum Anatomicos describamus. Partes igitur sive canales in quibus observavimus Valvulas , sunt Vreteres , canales isti membranacei , ab utroque rene in vesicam protensi , ut urinam ex illo profluentem excipiant & vesicæ inferant. Numerum quod concernit Vreterum , notandum , quod ordinarie binarius sit , in utroque scilicet latere unus , nihilominus tamen  
pro-

prostant observationes de duobus, vel tribus Vreteribus in uno latere repertis; vid. *Verheyen in Anatom. cap. XVIII. Tract. II. & Isbrandi de Diemerbræck Anatom. lib. I. cap. XX. de Vreteribus*, ubi refert de se ipso, quod bis hoc observaverit, sequentibus verbis: *Vnus communiter singulis renibus conceditur, raro plures inveniuntur, quales tamen casus bis a me publice demonstrati sunt, qui tamen duo ureteres utrimque prope vesicam uniebantur, in eamque uno orificio ingrediebantur.* Idem etiam videre contingit *Ioh. Iacob. Mangeti* in fœtu septem mensium: vid. *Theatrum Ejus Anatom. Lib. II. Part. I. cap. XII.* Ortum capiunt Vreteres in renibus, ubi infundibuli instar ampliati constituunt pelvim, atque e tubulis urinariis Bellini & carunculis ibidem sitis urinam in renibus secretam recipiunt, terminantur vero in vesicam, ubi oblique intra membranam ejus muscularem & nerveam progrediuntur, & in postica ipsius parte insertionem suam inveniunt. Substantia Vreterum est membranacea, composita ex tribus tunicis, externa scilicet communi a peritonæo oriunda, musculari tenui & nervea. Alii vero duas ipsis tantummodo assignant tunicas, exteriorem scilicet communem, & interiorem propriam; alii rursus hancce exteriorem ipsis denegant, & ex sola tunica propria Vreteres constare asserunt, uti *Riolanus* & cum eo consentiens supra laudatus *Isbrandus de Diemerbræck.*

§. III.

Situm quod adtinet Vreterum, sciendum, quod non in linea perpendiculari a renibus ad vesicam abeant urinariam, sed potius nonnihil inflexi sint, ita ut aliquo modo litteram S repræsentent; longitudo vero  
illorum

illorum ex renum & vesicæ locatione colligitur; ut plurimum circiter palmum longi, paleam autem lati sunt; interim valde dilatari possunt, imprimis in bibonibus, in quibus ad intestini amplitudinem dilatatos eos observavit Bartholinus, ut & in hominibus calculo renum laborantibus, quibus etiam addere possumus eiusmodi subiecta, quæ exulceratione aut suppuratione renum ægrotant: contigit enim mihi præeunte Excellentissimo Domino Præsidente in viro annorum 80. vomica renum defuncto observare Vreteres tam amplos, ut commode pollex intrudi potuit. Porro instructi etiam sunt Vreteres vasis arteriosæ & venosæ à partibus vicinis orientibus, denique gaudent nervis à trunco intercostali & medulla lumborum proficiscentibus. His, quæ ab omnibus Scriptoribus Anatomicis notata reperiuntur, addimus præeunte Celeberrimo Nuckio, Vreterum inæqualem amplitudinem, à Dno Præsidente semper quoque notatam: qua de re Nuckius ita loquitur: *Circa Vreteres, quos Auctores à renibus ad vesicam æqualiter, (sed male) extensos delineant, hoc observavi, & perpetuæ veritatis esse jam toties notavi; illos nunquam, tam in sexu masculino, quam fœmineo, ubivis esse æquales, sed tribus, quatuorve, & aliquando quinque in locis angustatos conspici, speciatim vero circa illorum exitum in vesicam.*

§. IV.

Tandem quoad usum Vreterum notandum, quod ille potissimum in statu naturali in eo consistat, ut urinam in renibus secretam transferant ad vesicam urinariam. Non solum autem hoc præstant, verum etiam

in statu præternaturali & morboſo aliis materiis præ-  
ter naturam in corpore detentis tranſitum concedunt;  
ſic in miſtu cruento ſanguini, in renum abſceſſu & ex-  
ulceratione materiæ purulentæ & ulcerofæ, in calculo  
renum calculis, lapillis, & ſabulo exitum præbent.

§. V.

Suppeditata definitione Valvularum in genere, &  
deſcriptis Vreteribus tanquam canalibus, in quibus  
conſpeximus Valvulas, ordo tractationis noſtræ nunc  
poſtulat, ut ipſam *Obſervationem illam rariorem de Val-  
vulis in Vreteribus repertis* pluribus tradamus: Primam  
itaque occaſionem noſtræ obſervationi Anno 1721. de-  
dit puer 12. annorum, qui in ſuburbio hujus ciuitatis  
deſunctus erat, cujus parentes (cum in vita graviffimis,  
ſæviffimisque doloribus calculoſis per ſex abhinc an-  
nos vexatus, tandem ſub tabida non modo totius cor-  
poris conſumtionem, ſed etiam perinæi, pubis que ex-  
coriatione ſatis doloroſa animam efflaverat) a Dno  
Præfide cadaveris ſectionem petebant. Hic illam ſuf-  
cipiens corpus externum totum emaciatum & ſceletum  
ſimillimum deprehendebat, ut vix cultro anatomi-  
co locus eſſet. Scrotum & perinæum erant exul-  
cerata, & excoriata tanto gradu, ut proxime corruptio  
metuenda fuiſſet. Diſſecto abdomine glandulæ me-  
ſenterii indurata, & inteſtina flatibus maxime diſten-  
ta, hinc inde quoque maculis ex rubeo-liueſcentibus  
obſita conſpiciebantur. Remotis verſus dextrum la-  
tus inteſtinis pro indagandis renibus, in conſpectum  
veniebat tumidus quidam canalis, à rene ſiniſtro ad ve-  
ſicam uſque protractus, craſſitie circiter trium digito-  
rum,

rum, aliquot cellulosis quasi distinctionibus ornatus. alterum quasi intestinum colon repræsentans. Examine hujus novitatis instituto, deprehendebat Dnus Præses, hunc canalem Vreterem esse, ultra modum ampliatus atque materia liquida turgidum. Ren sinister proxime adjacens præter naturam & ætatis conditionem erat magnus, volæ manus mediocris longitudinem & latitudinem superans, & vomicis aliquot purulenta materia plenis obsessus. Dissecto rene interna quoque ipsius facies arrosa & ulcerosa erat, & pelvis insolitæ expansionis & capacitatis reperiēbatur, dum tres digiti sine impedimento non modo in peluim, sed in superiorem quoque Vreteris partem ad primam cellulosam distinctionem usque intrudi poterant. Totus Vreter materia purulenta farciminis instar erat repletus, & per totam sui longitudinem quatuor circularibus distinctionibus angustatis ornatus. Presso Vretere materia purulenta fluctuatorio quidem motu in ipso mouebatur, ast in vesicam urinariam ne guttula quidem transpelli poterat, propter spasium vehementissimum vesicæ, quo insertio Vreteris stringebatur. Dissecto per longitudinem Vretere, materia purulenta effluebat, & in quatuor illis locis circulariter angustatis Valvulæ reperiēbantur totidem membranacæ, versus inferiora pendulæ ac liberæ, paululumque angustatæ latitudine, quemadmodum Figura Tabulæ adiectæ Vreterem apertum sistens monstrat: in infima Vreteris portione aliquot frustula squammosa quasi testacea acuta infixæ erant. In altero latere ren dexter extrinsecus erat flaccidus, dissectus in interiore substantia iti-



dem erosus, Vreter huius lateris una cum pelvi ultra modum erat dilatatus & ampliatus, quamvis dimidiam saltem sinistri mensuram æquaret, nec materia purulenta refertus esset. Interea iisdem donatus erat distinctionibus, atque dissectus easdem continebat Valvulas, & introitum in vesicam liberum monstrabat amplitudine calami olorini maioris. Vesica urinaria aperta calculum abscondebat, quem adpingi curavimus, Vncias III. cum dimidia pendentem.

§. VI.

Alteram occasionem præbuit cadaver masculinum, in Theatro Anatomico publice à Dno Præsidente dissectum atque demonstratum, ubi sub disquisitione partium urinæ se- & excretioni dicatarum, Vreteres naturalem quidem magnitudinem habebant, sed alternantes illas amplitudines & angustationes referebant; aperto Vretere unius lateris, (cum alter pro transmittendo flatu in vesicam conservandus esset) in illis locis, ubi Vreter contractior erat, membranulas ejusmodi per dimidium Vreteris transversaliter expansas reperimus tres; ita tamen, ut versus inferiora oblique inclinatae ac magis pendulae apparerent. De reliquo autem neque in renibus, neque in Vreteribus quidquam reperiebatur, quod ad statum præternaturalem & morbosum referri potuisset. Et hoc primum fuit subiectum, in quo hoc rarum phænomenon sub ductu & demonstratione Dni Præsidis mihi videre ac observare licuit.

§. VII.

Anno proxime elapso denuo sese offerebat prom-

ta occasio, ut adstarem Dno Præsidi aperiendi fenem masculum, ætatis annorum circiter 80. qui per tres abhinc annos post perpeſſam dyſenteriam, fere continuo lecto affixus erat, doloresque graviffimos, ac cruciatus tam in regione lumbari, quam pubis expertus erat, cum frequenti excretionem sanguinis per urinam & alvum. Apertum abdomen ſenis emaciati præter inſtina livida, flatuque diſtenta, in regione lumbari ſiniſtra nobis offerebat, ſub peritonæi renem tegentis involucro, tumorem mollem undulantem, ſaccatum, à rene ad veſicam uſque extenſum. *Suſpicans D<sup>ns</sup>* Præſes primi caſus memor, hic aliquid novi ſubefſe, caute ſeparanda ſeparabat, & rene *proxima* ahebat, intra tunicam propriam & ſubſtantiam corticalem vomicam pure plenam continentem, tantæ capacitatis, ut renem ad dimidium quaſi tegetet, & uncias circiter duas materiæ caperet. Hæc vomica ambitu ſuo ſeſe extendebat verſus pelvim, & cum illa jungebatur, vt tranſitus etiam ipſi materiæ pateret ſub rene in pelvim. Pelvis æque ac Vreter, uti in primo caſu, admodum erat diſtenſa, canalem ſaccatum tribus coarctatis ſpatiis diſiſum, & intra illa iterum ampliatum, pureque repletum referens. In Vretere longitudinaliter diſſectio totidem videbamus Valvulas, quot aderant anguſtationes, eo tamen diſcrimine, ut dimidium ſaltem circum occuparent; de reliquo autem ſicut priores oblique pendulæ erant, ejuſdem latitudinis, quam in primo caſu notavimus.

§. VIII.

Paucis posthæc mensibus moriebatur puer tabida corporis consumptione, ex glandularum mesaraicarum induratione extinctus, ad cuius apertionem & inspectionem Dnus Præses requirebatur. Totum corpus emaciatum, tabidumque videbamus, abdomine solo tumente & turgido. Abdomen apertum multum continebat seri extravasati, fluctuantibus intra illud intestinis. Glandulæ mesaraicæ cum pancreate valde induratæ, & magnitudine avellanarum minorum, majorumque erant conspiciendæ: nec hepar immune erat ab indurationis late. Renes scrutinio anatomico subjecti nihil equidem præternaturale monstrabant, sed Vreteres ultra ætatis conditionem & proportionem latiores & ampliores erant, consuetas tamen distinctiones paululum arctatas referentes, & secundum longitudinem aperti, in locis coarctationum nobis itidem membranosi quid, circulariter expansum monstrabant, quod tamen in tenero adhuc subjecto magis Valvulam conniventem, quam veram æmulabatur.

§. IX.

Ante paucas demum septimanas Dnus Præses iterum privatim dissecuit cadaver masculinum, hectica corporis tabescentia extinctum. In hoc subjecto, licet neque renes, neque Vreteres magnitudine aut reliqua conditione quidquam p. n. exhiberent, curiositatis gratia tamen ren sinister dissectus pelvim referebat bipartitam circa sui exitum in Vreterem, ita ut bifurcatum principium Vreter caperet, donec extra renem in unam cavitationem coalesceret. Proxime sub

concurſu bifurcationis formabat ſaccum, magnitudi-  
ne parvæ nucis juglandis, ſub quo arctior Vreteris e-  
rat progressus, in cujus ductu univerſo tres notabiles  
occurebant coarctationes cum intercedentibus ſpatiis  
amplioribus. Extractum Vreterem flatu diſtendebat  
D. Præſes, eumque exſiccabat, in quo ad longitudi-  
nem diſſectō tres digitos latos ab introitu in veſicam  
Valvula conſpiciebatur dimidiam Vreteris cavitatem  
transverſim occupans. In reliquo autem ipſius tractu  
diſtinctæ Valvulæ plures videri equidem non pote-  
rant, quamvis neque penitus negandum, veſtigia  
quædam apparuiſſe, quæ tamen ex defectu debitarum  
enchiriſium ſub exſiccatione obſervandarum, haud  
commode obſervari potuerunt.

§. X.

Quamvis nunc quidem paſſim apud Auctores  
proſtent hiftoriæ, quæ aliquo modo huc quadrant &  
cum noſtris obſervationibus conveniunt, tamen in  
relatione illarum nulla fit mentio Valvularum in Vre-  
teribus repertarum. Sic in *Ephemerid. N. C. Dec. II. An-  
no II. obſervat. 13.* quidem recensetur, quod in juvene  
annorum 22. diu ſtranguria & intenſis doloribus præ-  
fertim in inguine dextro vexato, tandem autem de-  
functō, & cultro anatomico ſubjecto obſervaverint  
Vreterem adeo craſſæ ſubſtantię, ut cum aorta è cor-  
de egrediente comparari potuerit, tantæque una am-  
plitudinis, ut carnoſiorem pollicem absque ulla ſui  
extenſione violentiori facile receperit; orificium dicti  
Vreteris, quod in veſicam terminatur, fuiſſe admo-  
dum arctum, ita ut ejus in veſicam ingreſſus nec ocu-  
lis

lis patuerit, nec stylo aditum concesserit; denique in vesica urinaria calculum pondere Vnc. III. cum dimidia æquantem invenerint. Porro in *Ephemerid. N.C. Dec. II. Anno I. obs. 19.* existat observatio de Vretere intestinorum amplitudinem superante, calculoque in vesica Vncias XIV. reperto. Et apud *Theoph. Bonet. in Sepulchret. Anasom. Lib. III. Sect. XXIV. pag. 616.* legi potest de aliquo viro dissecto, cujus Vreter sinister ultra pollicem dilatatus fuerit, ejusque medietas, quæ vesicam spectat, plurimos lapillos, altera, quæ renem, aquam limpidiorem continuerit; in vesica vero nihil fuerit. Et *Lib. III. Sect. XXV. obs. 15. pag. 670.* alia videre est observatio de puella, quæ Vreterem dextrum admodum amplum, inque ejus medio calculum asperum habuit. Si nunc modo dictas observationes cum nostris comparamus, sane apparebit, illas quidem aliquo modo cum nostris, v. g. respectu amplitudinis Vreterum, calculorum, aliarumque circumstantiarum convenire, in eo autem maxime à nostris discrepare, quod in illis de Valvulis in Vreteribus repertis altum sit silentium.

§. XI.

Disquirendum igitur nobis erit, an Auctores de Valvulis Vreterum mentionem fecerint, & quo sensu id factum sit? Si itaque conferamus Anatomicorum scripta, in nullo sane istorum aliquid reperiemus de Valvulis in Vreteribus observatis, nisi quod apud *Isbrand. de Diemerbræck* legatur, nonnullos existisse, qui putauerunt, Vreteres Valvulis ad orificia sua muniri urinæ è vesica regressum versus superiora impredientibus, sed simul refert, quod hæc Valvulas *Andreas*

*Laurentius, Riolanus & Plempius* in dubium vocaverint, existimantes, solum obliquum & tortuosum ingressum Vreteris in vesicam urinæ regressum è vesica satis impedire posse, quorum sententiæ citatus Auctor suum quoque calculum adjicit. Nec minus *Joh. Jacob Manget. in Theatro Anatomico* hujus est sententiæ, (licet de cætero inæqualitates Vreterum ex *Nuckio* desumptas figura ænea communicaverit) dum *Lib. II. Part. I. cap. XII. de Vreteribus & Vesica urinaria. pag. 407.* ita loquitur: *Obliqua hac insinuatione urinæ è vesica regressus impeditur, adeo ut Valvulis suppetias venientibus hic opus non sit.* Et *Andr. Laurentius* hac de re dicit: *Sunt qui operculum fingunt, miro artificio fabri factum.* Ipsemet autem asserit, quod Vreteres sinuoso reflexu & in anfractus convoluto mirifice lateribus vesicæ implantentur. Et *Caspar. Bartholinus* inquit: *Præter obliquam Vreterum insertionem apponuntur implantationi duæ membranule transverse instar Valvularum & follium, occludentes Vreterum introitum, ne urina egredi queat. Hinc ne flatum quidem vesica inflata & ad cervicem arctata immittit.* Qua de re *Verheyen Cap. XX.* ita disserit: *Aliqui orificiis Vreterum Valvulas adscribunt, atque ea de causa ab aliis acriter reprehenduntur: nescio an sat juste: siquidem pars tunice interioris ita dictis orificiis adjacet, ut, licet proprie non sit Valvula, hujus tamen denominationem ipsi applicari non videatur absurdum.* Si nunc modo prolata consideremus, certe patebit, quod nullus Anatomicorum de talibus Valvulis mentionem iniecerit, quales nos observavimus, sed quod isti Auctores, qui statuerunt Valvulas, eas tantummodo ante orificia Vreterum in vesicam

hiantia locatas, non vero in reliquo Vreterum cavo & tractu conspicuas esse senserint.

§. XII.

Num vero præsentia Valvularum nostrarum in Vreteribus repertarum pro naturali aut præternaturali sit habenda, equidem apodictice determinare nolumus, cum hæcenus subiectorum copia pro hac declaratione necessaria defecerit, aliorum vero Virorum Celebrium nemo hucusque viam præmonstraverit. Quod si autem ab illis numero paucis subiectis, quæ Exc. D. Præses intra biennium dissecuit, comparatio institui posset, aliqua ad minimum probabilitas pro ordinario statu militaret; quoniam è septem individuis duo saltem fuerunt, in quibus Valvulæ demonstrari non potuerunt, quinque autem ipsas suppeditarunt. Quamobrem hanc quæstionis decisionem in suspenso relinquimus, donec ulterius occasio inquirendi vel nobis, vel aliis Viris Celeberrimis occurrat, interea autem benevolo Lectoris iudicio committimus.

§. XIII.

Merito autem quæstio posset moveri, an etiam Valvulæ præsentis usum aliquem habeant in Medicina Theoretica, aut Practica pro explicandis morborum Symptomatibus, eorumve causis? Pro decidenda hacce quæstione respondemus, quod utique hæc Valvulæ usum in Medicina Theoretica æque ac Practica præstent. Non solum enim in statu naturali formando moderamini inservire possunt, ne impetuofus, sed successivus fiat urinæ ad vesicam descensus, verum etiam, ut regressus urinæ facilis impediatur ad renes.

Por-

Porro ex præsentia harum Valvularum possumus explicare Symptoma illud, quod in plurimis observatur calculosis, quando scilicet calculus per vices progreditur & iterum subsistit: quem calculi progressum & subsistentiam patientes exprimere solent, *der Stein habe einen Stuck gethan, nunmehr aber liege er wieder still*: ibi causam hujus calculi subsistentiæ præsentiam Valvularum esse putamus, difficilius enim est, quod calculus præsentem nullo obstaculo subsistere possit. Habemus hic ex parte consentientem supra citatum *Nuckium*, qui inæqualitatem superius allegatam *Vreterum*, tanquam causam hujus Symptomatis agnoscit sequentibus verbis: *Hinc ratio jam desumenda; cur calculi nephriticorum sæpe hæreant in itinere per Vreteres faciundo, & patientes, potissimum si calculi latera habeant acutiora, tantos percipiant dolores, uti non ita pridem in variis observavimus.* Denique extra omnem positum est dubitationis aleam, & quotidiana observatione confirmatur, quod unus calculosus præ altero majores sentiat dolores, & is sæpe, qui graviores sensit dolores, parvum excernat lapillum, ille vero, qui tolerabiliores dolores expertus, majorem emittat calculum. Ratio hujus phænomeni ordinarie deduci solet partim à temperamento & corporis structura, dum laxioribus corporibus minores, siccioribus autem & strictioribus majores adscribuntur dolores: partim à præsentia spasmi majoris aut minoris in *Vreteribus*: partim denique à mole, aut asperitate calculi; quas causas omnes quidem nos quoque lubentissime agnoscimus, & aliquando concurrere aut adesse posse concedimus: verum ta-



men non semper & ex omni parte rem exhaurire credimus. Vnde majori jure præsentiam aut absentiam Valvularum nostrarum in causa esse existimamus, ita ut Valvulæ præsentis, etsi ad statum naturalem non pertinerent, tamen calculosis impedimentum progressus calculi præbeant, & sub violenta sui expansione gravissimos cruciatus inducant; absentes vero calculo transituro liberam concedant viam, ut citius, promptius atque facilius, & uno quasi nisu ad vesicam iter suum proficere valeat. Plura quidem possent adduci, sed brevitati studentes hic filum abrumpimus. Deo interim T.O.M. pro concessis corporis, animique viribus devotissimas persolvimus gratias. Te vero Benevole Lector rogamus, ut cogitationes nostras hac de materia prolatas æqui bonique consulere velis, cum neque novitatis aut innovationis studio, neque vanæ, de novo quasi invento, capiendæ gloriolæ causa prolatae sint; sed communicationem saltem nostræ observationis cum orbe erudito pro scopo habeant. Quæ, si forsan in Republica Medica futuris temporibus majorem, quam primus ad spectus promittit, utilitatem adferre valeret, sufficiens laboris suscepti præmium nos exinde reportasse existimamus.

T A N T U M.

## ADDENDA.

*B. L.*

**C**UM præsens nostra Dissertatio sub Prelo sudabat, en!  
 nova sese offerebat occasio, in præsentiam Valvularum Ureterum inquirendi: cum fœmina nonaginta sex annorum, infelici fato è vivis erepta, cultro inquirenti in Theatro anatomico, à Dno Præfide subjiceretur. Abdomen perquirentes Renes in utroque latere mediocris magnitudinis videbamus, cum Ureteribus magnitudinem naturalem non superantibus, sed inæqualitatibus latitudinis, quas supra cum Nuckio notavimus; præditis. In utroque Uretere pollicem latum infra ipsius egressum, e rene paulò dilatatum prima apparebat angustatio, cum duobus Calculis renalibus, minoris phaseoli magnitudinem habentibus, hic in fixis hærentibus: in reliquo ductu aliquot minores lapilli hærebant, & sub fine ad dimidiū circiter digiti longitudinem ab ingressu in Vesicam, notabilis occurrebat coarctatio: flatu modeste expandebatur Ureter sinister a parte pelvis, cum autem propter flatum in vesicam egradientem Ureter detumesceret, - ab inferiore parte per Vesicam apertam flatus immittebatur, qui in loco ultimæ angustationis sonum edebat, & aliquale impedimentum offendebat. Leviter exsiccatu dissectusque Ureter spem nostram abundanter explebat; dum Calculus in superiore parte immediate supra Valvulam semicircularem hærebat, atque in progressu impeditus publicè demonstrabatur. Infima autem angustatio Valvulam offerebat circularem, firmioremque,

quam superior erat. Dexter eodem modo inflatus ac tumidus in superioris partis plane eadem regione coarctata itidem duos hærentes tenet calculos, quem integrum asservavit Dnus Præses quoad maximam partem, inferiorem autem ipsius portionem, quoniam in eodem cum priori loca ante ingressum in Vesicam, similem referebat coarctationem, dissecuit, & Valvulam similiter circularem ibi deprehendebat: quarum delineationem, si tempus nobis id permisisset, tibi, B.L. lubentissimè æri incisam communicatam dedissemus. Et ita sextum jam in conspectum deduxi subjectum, in quibus sub ductu Dni Præsidis intra biennium has Valvulas observare licuit.

Cum autem varia adhuc, satis curiosa observata, in hoc senili corpore dissecto deprehensa sint; haud ingratum, aut inutile fore judicavi, si illa, permittente Dno Præside, breviter recensuerim.

1. E Musculis pyramidalibus abdominis, dexter solus aderat, magnitudine vix minimum phaseolum æquans, substantiæ admodum mollis.

2. Musculus Peronæus posticus geminus reperiebatur, quemadmodum Verheyen eundem in uno subjecto repertum delineatum communicavit.

3. Sub injectione aquæ tepidæ in arterias carotides pulcherrimo spectaculo primo facies cum palpebris tumescebat, & mox aqua in forma sudoris ubique per poros cutis frontis, nasi, totiusque faciei largiter promanabat: & subsequens injectio liquoris rubei non modo minima faciei, sed ipsius Pupillæ Oculorum vascula penetrabat, ut per pupillam conspicerentur.

4. Intestinum Ileum in sinistro inguine aliqua sui  
portio-

portione intra anulum musculorum detractum, ibique firmis fibris adnexum erat; & convoluti intestini tunicae exteriores ad manus latitudinem coaluerant.

5. In Mesenterio, octavo post mortem die, Vasa Lactea chylo repleta, satis copiosa conspiebantur.

6. Ligamentum Umbilicale apertum erat, adeoque patulum; ut injectio cerae facta per illud ad Venam Portae penetraret, & per truncum illius egrederetur.

7. Ren sinister Pelvim offerebat bipartitam.

8. In substantia renis sinistri medullari, prope unam carunculam, exulceratio pisi magnitudine offendebatur, in cujus medio calculus haerebat ejusdem magnitudinis.

9. Ovarium dextrum cum vasis spermaticis inter Intestinum rectum & Ureterem retractum erat, ac Intestino firmissimis fibris adhaerebat: Tuba autem fallopiana in hoc latere plane deficiebat.

10. In una Venarum uterinarum, a spermaticis ad latus sinistrum Uteri serpentino & tortuoso tractu decurrentium, dimidii digiti longitudine substantia lapidosa instar canalis cavi reperiiebatur, fetam admit- tens sanguinemque tenuem continens.

11. Connexio Venarum haemorrhoidalium inter- narum cum Utero tam flatu, quam injectione aquea ostendebatur.

12. In Venae Cavae trunco descendente sub transi- tu per Diaphragma Polypus membranoso fibrosus cum sanguine coagulato adhaerente reperiiebatur.

13. In Arteria magna, ante ingressum tubi arteriosi Botalli, officulum semilunare haerebat, & foramen o- vale apertum erat.

*Fig. I. ad §. 5.*

A. Ren Dexter.

a. a. a. Vomicae Renem obsidentes.

B. Ureter insolite dilatatus, & materia purulenta plenus.

b. b. b. b. Coarctationes in Uretere obviae, sub quibus Valvulae latitarunt.

*Fig. II. ad §. 5.*

A. Ren sinister ejusdem subjecti.

B. Ureter itidem dilatatus.

b. b. b. b. Totidem Ureteris coarctationes cum Valvulis hic latentibus.

*Fig. III. ad §. 5.*

A. A. Ureter dexter secundum longitudinem apertus.

B. Valvula 1ma.

C. - - - 2da.

D. - - - 3tia.

E. - - - 4ta.

*Fig. IV. ad §. 7.*

A. A. Ureter a Rene separatus p. n. dilatatus.

b. c. d. Coarctationes, sub quarum singula Valvula haerebat.

*Fig. V. ad §. 9.*

A. Ureter in principio dilatatus.

a. a. Duae ipsius divaricationes, quibus e Rene egressus est.

b. Coarctatio Ureteris, sub qua Valvula semicircularis sita est.

c. c. c. Reliquae Ureteris inaequalitates.

*Fig. VI. ad §. 5.*

Sistit Calculum e Vesica Urinaria Pueri extractum.

a. a. a. a. Asperitates in illo obviae.

Fig: 2. d. 5.



Fig: 3. d. 5.



Fig: 1. d. 5.



Fig: 6. d. 5.



b



A



Fig: 5. d. 9.

Fig: 4. d. 5.




Fig 2

PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES,

**S**Tudium anatomicum, Sectionesque corporum; complures veritates medicas suppeditare, & suppeditatas confirmare, nemo sanè in dubium vocabit, nisi qui hospes existit in studio medico. Assertum hoc pluribus argumentis roborare ac demonstrare, nec animus est, nec temporis angustia permittit. Tu ipsemet hujus studii necessitatem, utilitatem, optimè habes perspectam; ideoque semper laudabili ardore flagrasti, quo partim in patriâ, partim in nostra Academia ipsius penetralia intimius adires. Nullam plane occasionem prætermisisti, in hoc eruditionis genere quidquam addiscendi, quam diu Te cognitum habui. Nec tamen totus solum huic studio insudasti, sed, uti decet eruditum virum, aliis quoque eruditionis medicæ veræ ac solidæ partibus maxima cum laude incubuisti. Hinc Ordo noster sibi gratulatur

D

de



de Candidato artis salutaris dignissimo, cui Honores diu promeritos, Laureamque Doctorem intrepida manu, animoque non hæsitante conferre potest. Gratulor & ipsemet mihi de Auditore, quem non modo Parentum virtus & gloria, sed Pietas, Comitas, Studium indefessum, propriaque virtus coruscare facit, mihi que semper commendatissimum reddidit. Ascendis Cathedram, certamen eruditum aggressurus, de  
**VALVULIS IN URETERIBUS REPERTIS:** quæ Tibi, sub mea, quantum scio, qualicunque manuductione innotuerunt. Nolui equidem, licet ab aliis jamjam rogatus, hanc materiam in scenam producere: sed modestissimæ tuæ petitioni resistere non potui, cum è re tua esse duxeris, ut pro Themate inaugurali illam eligeres. Gratulor Tibi Amice suavissime de Honoribus propediem capessendis. Gratulor Patriæ de Medico prudenti, felici: nec non Tibi & Patriæ quævis bona auguror. Adsit Tibi Propitium Numen, sicut in Studiis, ita in Praxi, ut nullum felicitatis genus unquam Tibi deficiat. Vale.

**I**N medica nemo felicior arte canendus,  
Ægri nî vitam iudicet esse suam.  
Sic erit in Medico melius relevetur ut æger,  
Sæpius & docta pellat is arte malum,  
Exilio depulsa suo mors desinet atra,  
Humano generi funera plura dare.  
Vnus enim Medicus, multis æquandus honore,  
Prudenter morbi dissipat omne genus.  
Quæ mecum reputans nihil impedit Suavis A-  
mice,  
Protinus ex animo cuncta vovere Tibi.

D. IO. FRIDEMANN Schneider /  
Sac. Reg. Maiest. Confil. Aul.  
& Prof. Ord.

---

**A**Uß GOTT und die Natur / gar nichts  
vergebnes machen /  
Obs jeden zwar nicht gleich in alle Sinne  
fällt /  
Bezeucht die grosse Zahl der neu = entdeckten  
Sachen  
An allerley Geschöpf der groß und kleinen  
Welt.  
Diß zeigt HERR DILTHEY auch mit schö-  
nen neuen Proben /  
Wenn Er die Valvulas der Ureterum findt /  
Und

Und ist sein Fleiß hierin um so viel mehr zu loben/  
Indem dergleichen nie zuvor } entdeckt }  
} beschrieben }  
sind /

Hierdurch nun öffnest Du die Thür zu grossen  
Ehren /

Hierdurch wirst Du / mein Freund / nunmehr  
} unsterblich } seyn /  
} vor Ewig }

Der Höchste wolle Dir / Dein Wohl ohne Zahl  
vermehrten

So führt Dich diese Thür ins Glückes Schoos  
hinein.

Dieses wünschet von Herzen des Herrn  
Candidati ergebenster Freund

I. R. B. M. D.

---

**C**REDITUR AONIIS dux unus adesse Camœnis.  
Quis TIBI Pieriis hæctenus alte jugis?  
Maximus e medicis, procul hinc, procul esto  
profanus,  
Est comes in studiis, *FRATER AMANDE*, Tuis.  
Hic TIBI Nassavico semper fuit auctor in agro,  
Hoc duce nunc *VENEDUM* Doctor in urbe  
clues.

Sit TIBI, sit medico Pater hic, fortunet honores,  
Et posthac curas prosperet arte Tuas.

*Sic FRATRI applaudere voluerunt  
fratres*

JOH. PHIL. DILTHEY,

J. U. L. Consiliarius  
Dillæbergenſis.

RUD. ERNESTUS

DILTHEY,  
S. M. C.